

B<sup>L</sup>A

B. R. V.

854-a; 880-a;

912-a

BIBLIOTECA  
Centrală a „Astrei”  
SIBIU

Inv. 147

ANIMADVERSIONES  
IN  
RECENSIONEM  
HISTORIAE:  
DE  
ORIGINE VALACHORUM IN DACIA.

E  
VALACHICO IN LATINUM



TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS PESTINENSIS.

1814.

45 1425

288.  
~~244~~


B.R.V.

B.R.V.

854-a

DE


25 CENTRAL - OREGON



**N**on est operae pretium multis hac in re prooemiaci. Ego quidem auctorem *Recensionis Historiae de origine Valachorum in Dacia* propter suam eruditionem sincere colo: haud tamen aegre ferre debet, animadversiones super sua Recensione amore veritatis a me depromi. Ad rem itaque continuo descendam.

*Recensio*, inquam, Litterariis Ephemeridibus Viennensis N. 98. die 7. Decembris 1813. P. 1552—1563, divulgata acrem crisim factura in Historiam de origine Valachorum in Dacia, opera Petri Major de Ditsö-Szent Márton, Protopapae, et Regii Revisoris Librorum Budensis concinnatam, mature in Praefatione dictae Historiae notat errorem, quem in secunda editione expungendum decernit.

Haec sunt verba Praefationis, in Latinum versa: *Propositorum meum non est integrum Historiam Valachorum contexere, nisi ea, quae potissimum ad originem illorum in Dacia pertinent, ex antiquis Scriptoribus ideo consignare, ut perspicientes Valachi illustrerem stirpem, ex qua prognati sunt, binnes extimulerint ad imitandum suos pro-*



*vos in honestate et modestia.* Hucusque tenet exemplum, quod carpit D. Recensens.

Cum vero auctori, utpote bono civi, et ecclesiastico viro cordi sit illa apostolica doctrina, quam solicite semper populis inculcandam esse reor: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* ad Rom. cap. 13. v. 1. *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* ad Tit. cap. 3. v. 1. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. ad Rom. cap. 13. v. 5. 8. secundum hanc, inquam, doctrinam auctor, interposita particulâ ἀδεκτῷ (ade che) explicat sequentia ad honestatem et modestiam pertinere, et unā exhortatur: *Erga suum Imperatorem Austriae sint fideles, erga Patriam pii, erga Dominos terestres obsequentes, erga omnem proximum charitati.* Cur haec verba in apostolica doctrina sensu contenta, et legi naturae conformia emitte deberent in secunda editione, non video.

Porro ea confessio, quam D. Recensens ex praefatione appingit auctori: quod exterorum insectationes ipsum auctorem impulerint, ne ultra taceat, nusquam in brevissima auctoris praefatione invenitur. Sunt et alia ejusmodi pigmenta in Recensione, quibus D. Recen-

censem suos lectors recreare voluisse, Recensionem cum Historia contendenti luculentum fiet.


Post interpretatam utcunque praefationem auctoris, pollicetur D. Recensens, se filum auctoris, et probarum seriem suis lectoribus adumbraturum; argumenta tamen auctoris pro suo commodo leviter tangit, solidiora omnino reticet.

Num. 1. valde laudat Recensens auctorem, quod materna Valachica lingua Historiam conscripserit, haud iniquam reddens rationem, quod quoisque non omnes super omnibus in materna lingua scribere inceperrint, nullus populus possit sibi culturam polliceri. Hujus tamen sancti sentimenti cito oblitus, Num. 3. praecipit, ut Valachi in lingua nota, hoc est, non Valachica scribant.

Dum Recensens Num. 4. declarat, Valachos nunc ut plurimum esse servientes, videntur ignorare conditionem Valachorum Moldaviae, et Valachiae Transalpinae, et non meminisse plurimorum nobilium Valachorum Magni Principatus Transsilvaniae, imo et Inclyti Regni Hungariae.

Auctor docuit ex Eutropio Latinam linguam à Latino Rege Latii fuisse correctam, in usum nempe litteratorum, manente antiqua lingua penes populum, hancve popularem linguam esse Valachicam. Serio quaerit D. Recensens, cur id fecisset Rex Latinus?

Pri-



Priusquam ad hanc interrogationem D. Recensentis respondeatur, haud importunum fuerit singularem Ioannis Valentini parochi Zyno - Várallyensi opinionem referre. Hic in suis lucubratis Opusculis in unum collectis Budae Typis Regiae Universitatis Hungariae anno 1808 impressis, quemadmodum prope omnes mortales inter Slavicas familias recenset, sic etiam Trojanos asserit fuisse Slavos. Pag. enim 334. sic ait: *Trojanos fuisse Slavos pares Getis, Thracibus ostendo sequenter. Graeci Trojanos vocitabant Barbaros.* Ovid. E. 1. *Heroidum.* Ponitur ad patrios barbara praeda Deos. Et pag. 335. *Graeci,* inquit, *Trojanos vocitabant Barbaros.* Si *Trojani processissent ē gente Graecorum, aut Latinorum, vetusti Scriptores cum primis Ovidius priscarum historiarum peritissimus eos nomine exoso non compellassent.* Et pag. 142. *Hinc uberius,* ait, *disce in Asia nunquam Latini Sermonis usum fuisse, Trojanosque Slavicae originis celeberrimam orbis gloriam floruisse.* Insuper pag. 152. ait: *Profecto si Germanica, Slavica, Graeca lingua reciperen tē latina voces radicales, sere in nihilum recideret latina.* Imo eadem pag. hoc quoque adseverat Valentini: *Lingua Graeca, inquit, à Slavis non pauca mutuata est.*

Ad haec, Petrus Katancsich, de *Istro* cap. 7. num. 16. opinionem suam circa Slavicam

cam linguam sic declarat: *Si sermonis Slavi naturam scruteris, quiddam in ea divini non observare non potes.*

His praemissis, ad percontationem Recensentis, cur Latinus Rex Latii correxisset Latinau linguam? Candide fateor, me ignorare caussam, cum longe major temporis distantia intercedat me inter et Regem Latinum, quam inter eundem, et Eutropium, cuius propter hanc ipsam distantiam non admittit Recensens auctoritatem, ac aliud praeterea sit cuiuspiam innotescere factum, aliud intentionem, sive caussam. Potest tamen quispiam Slavus Joanni Valentini, et Petro Katancsich addictus promte respondere: Latinum Regem Latii ad gratificandum Slavis, hoc est Æneae et reliquis Trojanis victoribus, imitari voluisse Slavicam linguam, tum ad participandum de eo *divino*, quod certissime, sibi videtur Katancsich, deprehendisse, in Slavica linguâ inesse, hacve ratione inductum Latinum Regem ad mutandam, et corrigendam linguam Latinam.

Exemplo Joannis Valentini, cum in lingua Serbica non modo aliarum diversarum nationum, sed etiam Turcarum plurima vocabula inveniantur, posset quispiam Serbus adserere, Turcas quoque multa ex Serbica dialecto mutuatos fuisse vocabula. Quam sit lingua Serbica commixta, et ex variis, diversisque linguis coalita, ex sequentibus verbis eru-di-



ditissimi Rascianorum Pauli Kengelatz Archimandritae Sancti Georgii, in Praefatione operis *Estestvoslovie* nuncupati, ac Budae anno 1811 typis editi contentis quisque discere potest:  
 Јще таکо книги писати єзdemъ, таکоже нѣцы нынѣшнаꙗ вѣка книжницы ниже Славански, ниже Сѣрбски, но таکо да рекъ: Славено - сѣрбко - Нѣмецко - Мадваро - Турско - Щигански.  
 Id est Latine: *Si ita libros scribebam quemadmodum nonnulli hujus aevi Scriptores neque Slavice, neque Serbice, sed ita potius dicant: Slaveno-Serbo-Germanico-Hungarico-Turcico-Zingarice.* Addi oportebat etiam Italicam linguam, ex qua multa certo vocabula in lingua Serbica deprehenduntur, ut taceam alias linguas Europaeas, ex quibus complura in suam dialectum adoptarunt Serbi. Vix certo hodie datur lingua in Europa aequa commixta ac Serbica. Hinc justa est expostulatio praelaudati Archimandritae contra eos Scriptores Serbos, qui sua scripta *Slaveno-Serbica* nuncupant. Plura alia cognomina praemittenda sunt Serbicis Scriptis, aut certo *Slovenum* exmittendum, ne lingua Slovenica, alioquin per versionem librorum Ecclesiasticorum ē Graeco idiomate factam admodum corrupta nova foeditate commaculetur.

Num. 6. negat D. Recensens citata per auctorem haec verba: *qui Latinam linguam correxit*, reperiiri in Eutropio, quae tamen ipso

ipse in antiqua editione Eutropii, quae ex Aldi Officina operâ Joannis Baptistae Egnatii Veneti prodiit, lego. Deinde etiamsi in Eutropio ea verba deprehenderentur, tamen parvi in hoc aestimandum esse Scriptorem tanto intervallo ab aetate Latini Regis remotum praescribit D. Recensens. Porro urget percontando: quamnam linguam Latinus correxisset, an illam, quae est in Cantilena fratribus Arvalium tempore Romuli? vel in legibus Numae? vel in 12 tabulis? vel in epitaphio Scipionis? vel Plauti? vel Ennii? vel Caesaris, Ciceronis, Virgilii?

Etiam si plurium auctorum catalogum texere placuissest D. Recensenti, cum tamen omnes praerecensitae linguae ad unam eamdemque linguam *correctam* pertineant, indubiu[m] est, omnes correxisse Latinum, non quidem in eo, in quo accidentialiter inter se discrepant, sed in quo omnes conveniunt. Ac praescindendo ab eo: an ea, quae referuntur in Breviario Eutropii praedictæ editionis lib. 1. ante historiam Romuli, ubi continentur verba per auctorem citata, sint ipsius Eutropii, an alterius Scriptoris, et an ille Scriptor mentitus sit, (quod nisi contrarium positive probetur, adserere fas non est) an certum monumentum, unde ea excerptis, deprehenderit, vel ipsa admodum anxia inculcatio yeterum Sapientum Romanorum, etiam ipsa aurea aetate Latinitatis de imbuendis pue-



pueris Grammatica doctrinā , aliam fuisse lingam Latinam litteralem , sive doctam, aliam, quam cum lacte hauriebant, non sinit dubitari. Vide sis auctoris Dissert. de origine linguae Valachicae. Falsum proinde est, à plebe, ac omnibus militibus aequa fuisse intellectos Ciceronem, Caesarem perorantes atque à doctis. Prope sic hi intellecti sunt ab indocta plebe, et à plerisque militibus gregariis, sicut hodie intelligitur Officialis Germanus, linguae Hungaricae , Valachicae et Slavicae imperitus ad Regiminis Hungarici milites perorans, nisi interpretatio subsequatur; aut si-  
cut intelliguntur Episcopi Rasciani Banaten-  
ses à Valachis suis ovibus rationalibus, dum  
interdum praedicant verbum Dei , scilicet pa-  
rum, aut nihil.

Apud Valachos, quoniam eadem est lin-  
gua plebis et doctorum, nulla doctrinā Gram-  
matica est opus; hanc enim cum lacte à nu-  
tricibus exhauriunt, ac aequa intelligit plebe-  
jus ac doctus libros quod attinet ad verba, et  
structuram Grammaticam: ideoque parum ha-  
ctenus solliciti fuerunt Valachi de edenda Gram-  
matica et Lexico.

Quid porro ex primaeva lingua Latii per  
correctionem dentum sit, quid eidem addi-  
tum, tacent antiqui Scriptores. Hand autem  
ambigo, correctionis primigeniae linguae La-  
tinae originem repetendam esse à societate et  
commercio Latinorum cum Graecis; ac pri-  
mam

11

mam mutationem opinor accidisse ultimae syllabae vocum: cuius opinionis hoc habeo argumentum. Non modo apud Italos, verum etiam apud Valachos, qui initio seculi secundi aerae Christianae ex Italia in Daciam exivere, omnes voces hodie dum desinunt in vocalem. Haud incongrue igitur argui posse opinor, apud veteres quoque Latinos ante initiam cum Graecis arctiorem societatem omnes voces suae linguae desiisse in vocalem. Si quis id inficiari velit, ostendat oportet initium consuetudinis Italorum et Valachorum non ferendi consonantem in fine vocum. Quod cum nemo praestare possit, concludendum est, apud veteres quoque Latinos omnes voces vocali fuisse solitas terminari. Hujus consuetudinis vestigia mihi videntur: *amavere* loco *amaverunt*; *amabere* loco *amaberis*; *amarere* loco *amareris* etc. Imitatione vero Graecorum demum finales consonantes quarundam vocum invehebant in suam linguam litteralem docti Latinorum, permanente antiqua consuetudine in vulgari lingua, quam hodie dum tenent Itali et Valachi.

Apud Valachos, inquam, Aurelianae Daciae hodie quoque omnes voces desinunt in vocalem, sicut apud Italos; apud Valachos autem veteris Daciae saepe exmittitur finalis vocalis *u*, proinde multa vocabula apud hos desinunt in consonantem. Nihilominus tamen maiores Valachorum ejusmodi consonanti ad-

di-




diderunt in scripto Cyrillicum & nullum edens sonum, ad indigitandum absentiam vocalis *u*. Quod si ejusmodi vocabulum connectatur cum articulo definito, aut alia aliqua particula, revocatur eadem vocalis, eg. *Român*, *Românu l'*; *Ungur*, *Unguru l'*; *Grec*, *Grecu l'*; *dând*, *dândune*; *Rugând*; *Rugându te*; *lásând*, *lásându se* etc. Consuetudinem vero exmittendi finalem vocalem *u* cum subintrusione linguae Slovenicae in Ecclesias Valachorum veteris Daciae, et litterarum Cyrillicarum invectam fuisse, vix dubitari potest: quo nempe, inter alia, major veneratio Cyrillicis litteris exhibeat; secus enim & Cyrillicum locum apud Valachos haud nancisci potuisse.

Qualiter vulgaris lingua Latina per diversas populorum Italiae à Romanis subjugatorum linguas alterata sit, edocuit auctor. Quod vero docti Latinorum post discessiouem à primigenia lingua Latii, totis viribus incubuerint ad locupletandam linguam Latinam literalem ex lingua Graeca, abunde docent ipsi libri Latini: quod quidem nec postquam ad justam mensuram pervenit lingua Latina literalis praestare desierunt docti Latini. Imo, non solum à Graecis, sed, uti fit in condenda nova lingua, nonnulla ab aliis etiam nationibus sive in numerum vocabulorum, sive in Grammaticam literalis linguae ingessere, alia suo marte nova invenire docti Latinorum.

Itaque, praeter alias caussas, illam ajo  
esse discrepantiae veterum Scriptorum Latini-  
orum inter se, quod nonnulli linguam vul-  
garem, sive plebejam et quoad pronunciatio-  
nem, et quoad vocabula, ac idiotismos imi-  
tari voluerint, Certo ex modis loquendi Plau-  
ti, et Terentii hodie quoque audiuntur in lin-  
gua Valachorum; alii variis modis secuti sunt  
Graecos, ita, ut nonnulli praecipue per ver-  
siones ē Graecis auctoribus factas etiam con-  
tra praestabilitam Latinae linguae proprieta-  
tem graecizare voluerint.

Frustra D. Recensens num. 7. allegat exem-  
plum Graecae linguae contra auctorem. Nam  
de Graeca lingua etiam idem opinandum esse  
censeo, quod de Latina. Graecam, inquam,  
linguam omnes olim Graeci aequaliter loque-  
bantur. Posthac docti eorum acceptis ab ex-  
terioribus nationibus scientiis, et artibus, una etiam  
aliena vocabula, et modos loquendi suorum  
magistrorum invexerunt in Graeciam, tum  
suam linguam perpoliverunt, ac mirifice au-  
xerunt, manente plebe illiterata penes anti-  
quam dialectum. Hinc duae linguae Graecae  
emerserunt, una litteralis, quae ope Gram-  
maticae condisciebatur, quamve Helenisticam  
vocabamus, alia vulgaris, rustica, quam hodie-  
dum vulgus Graecorum, admodum tamen cor-  
ruptam loquitur.

Atque exemplo Graecorum, credo, ad-  
ductos fuisse Latinos ad corrigendam, et per-  
fi-



ficiendam suam linguam: quo medio nova deinceps enata est lingua latina diversa à veteri, quae in ore indoctae plebis permansit.

Morem se distinguendi linguâ à rudi pospello, aliarum quoque nationum doctis fuisse opinor: quod partim natura scientiarum, partim arcana sacerdotum, partim forte ipsa etiam ambitio suggessit. Occurrit mihi (res quidem levis, sed notandis hominum moribus accommoda) consuetudo Serborum, qui solum legere norunt. Hi coram suis popularibus ambitionis gratia, quo videantur distingui ab aliis, inter se syllabizando, aut potius recitando cuiusvis vocabuli litteras singillatim, nonnullas duabus, alias pluribus syllabis pronunciari solitas, colloquuntur, proinde suis popularibus nescio quam linguam doctam loqui videntur, atque hunc sermonem vocant litteratum.


Certo caussam intimae affinitatis Italicae linguae cum lingua Valachorum, qui à tot seculis, ac hand remotissime ab aurea aetate Latinitatis discesserunt ab Italis; nequaquam reddideris, nisi admittas olim quoque aliam fuisse linguam doctorum Latinorum, sive litteralem, aliam, quam vulgus loquebatur. Dubitari proinde non licet, linguam Valachicam esse veterem, quam omnes Latini loquebantur, priusquam docti Latinorum ad exemplum Graecorum sensim litteralem linguam Latinam efformassent, nisi quod dilatato ins-

perio Romanorum per universam Italiam ; multa ex diversis populorum Italiae linguis vulgari linguae accesserint ita , ut nonnulla vocabula praecipue Sabina in linguam litteralem quoque subrepserint, quae hodie dum vi gent, ac Italica lingua per invasionem gentium Germanicae originis multum corrupta sit, prouti etiam in linguam Valachorum non pauca vocabula praesertim Slavica subintrusa : quod qua ratione factum sit, docuit auctor.

Probe tamen observandum est, plura ex illis vocabulis linguae Valachicae, quae dicuntur Slavica, ideo solum hanc cognominacionem esse adepta, quod sint Slavis communia cum Valachis, reapse vero esse Valachica , eorumque originem eamdem esse cum lingua Latina, Italica , Hispanica, Gallica, aut eorum radicem deprehendi in lingua Graeca : quod si quis scrutetur, facili negotio competet. Omnia autem haec vocabula ex Italia olim secum adduxere in Daciam proavi Valachorum, ab hisque mutuati sunt Slavi.

Non leve argumentum militat pro vetustate linguae Valachicae etiam id , quod Festus lib. 17. his verbis de veteribus Latinis notat : *Antiqui , ait, nec mutas , nec semivocales litteras geminabant.* Certo Valachi hodie dum nullam sive mutam , sive semivocalem litteram in sua lingua geminatam habent.

Falsum esse, quod D. Recensens num. 8. adserit, veteres ita scripsisse, sicut loquebantur,



tur, liquido patet ex auctoris Dissert. de origine Valachicae linguae, ubi haec verba de Augusto ex Suetonio citat: *Orthographiam id est formulam, rationemque scribendi à Grammaticis institutam non adeo custodiit.* Ac videtur eorum sequi potius opinionem, qui perinde scribendum, ac loquendum existiment. Etsi nempe nonnulli opinabantur ita esse scribendum sicut loquuntur, tamen Orthographiae alia ratio erat. Sicut hodie Valachi pro diversitate dialectorum variam habent pronunciationem, orthographia tamen etiam Cyrillico - Valachica eadem est apud omnes. Idem dicendum de Italis.

Nodum in scirpo quaerit D. Recensens num. 9. dum summa ope nititur invenire apud Bulgaros articulos nominibus postpositos, ubi certum est singulas dialectos Slavicas, prout et Albanensem linguam articulis definitis, de quibus est quaestio, destitui. Pronomen vero demonstrativum non solum apud Bulgarios, aut Albanenses, verum etiam apud Latinos haud ineleganter interdum nomini postponi, indubium est. Vide auctoris Dissert. de origine linguae Valachorum. Caeterum probe observandum est, *ta* per D. Recensem adductum non instar articuli, sed otiose apponi per Bulgaros contra consuetudinem aliorum Slavorum, sicut in quadam plaga Transsilvaniae apud Valachos creberrime adjectur *ni*, nec ullam addi vim voci per suffi-

xionem *ta*. Igitur *ta* apud Bulgaros non est articulus definitus nomini postpositus, sed stribligo. Putem consuetudinem postponendi vocibus *ta* inter Bulgaros à Valachis, quibuscum strictior olim erat societas Bulgaris esse adoptatam. Observantes nimirum Bulgari, apud Valachos postponi articulos nominibus, ipsi quoque, etsi otiose, suffigere ceperunt suum *ta*.

Porro, non absque ratione opinatum fuisse auctorem, olim apud Italos quoque articulos definitos, quemadmodum hodieum apud Valachos, postponi fuisse solitos, vel ipse hodiernus usus Italorum, quo saepenumero postponunt articulos definitos verbis, haud obscure declarat eg. *Dir-la*, *Far-lo*, *Giovar-le*, *Consolar-gli*.

Eodem num. docet Recensens, ad linguam Thracicam, Geticam, Illyricam, juxta formam et materiam referri ea, quae Valachica lingua cum suis sororibus latinis communia non habet. Et quoniam probe novit D. Recensens, incertum esse, cujusmodi fuerit lingua Thracica, et Getica, (Illyrica enim procul dubio talis fuit lingua, qualis hodie Transsilvanica, hoc est, nulla, sed sicut hodie in Transsilvania pro diversitate gentium ibidem incolentium, ita in vasto illo Illyrici territorio plures diversas linguas illi populi loquebantur; inter has hodie sunt Graeca, Valachica, Slavica, Judaica, vel potius Hi-



spanica , Armenica , Zingarica etc.) ea, inquam, docet D. Recensens , certius ex aliis notis linguis , praecipue Slavicis mutuavisse Valachos.

Eo gratiorem nobis rem praestitisset D. Recensens , si saltem uno exemplo hanc doctrinam suffulisset, quod nos ejusmodi hactenus prorsus nullum invenimus.

Num. 10. ait Recensens , in provinciae formam non redigi desertum. Cum igitur Dacia in provinciae formam redacta sit per Trajanum, sequitur à coloniis Romanis inventos fuisse in Dacia incolas , seque cum his miscuisse. Unde consequitur , linguam Romanam per Dacicam linguam esse corruptam, et Valachos non esse puros Romanos.

Qualiter extirpati fuerint Daci per Romanos occasione secundi belli Dacici , et evacuata Dacia antiquis incolis, abunde comprobavit auctor non modo ex circumstantiis illius belli, verum etiam auctoritate antiqui Scriptoris Juliani. Esto vero, regionem, quae perpetuo incolis vacua permanet, non redigi in provinciam ; Daciam tamen , Dacis quidem vacuam, infinita tamen multitudine civium Romanorum, ad colendum agros et urbes , teste Eutropio , eo translatorum impopulatam , non potuisse redigi in provinciam , quis inficias iverit ?

Sed dato à Romanis coloniis in Dacia inventos fuisse Dacos, an idecirco sequitur, Roma-

manos se cum Dacis commiscuisse, et impuros Romanos evasisse? Certo contrarium non levibus argumentis contra Engel edocuit auctor. Ab aliquot jam seculis Armeni degunt in Transsilvania inter alias amplas gentes, ipsi exignae multitudinis, nihilominus tamen puri Armeni manent. Quanto magis infinitae multitudinis Romani in Dacia, etiamsi concederetur ibidem praeexistisse incolas Dacos, permanere potuerunt puri Romani.

Porro, Colonos, per Trajanum in Daciam transvectos, non fuisse mixturam Thracicam, uti opinari placet D. Recensenti eodem num. sed omnino cives Romanos, extra omnem dubitationis aleam posuit Eutropius lib. 8. in *Adriano*. Proinde ea cantilena toties repetita: quod Valachi non sint puri Romani, inter gerras germanas est recensenda. Vide auctorem, qui uberius hac de re disseruit.

Num. 11. adserit Recensens, uberiori adhuc examine posse evinci, nomen *Romanus*, quod Valachi sibi ipsis tribuunt, ad illam aetatem referendum esse, qua post translationem Solii Romani in Thraciam etiam Graeci se Romanos vocare coeperunt, prout id etiam hodie faciunt.

Oportebat D. Recensentem quodpiam vel levissimum argumentum, ad investiendam saltem specie probabilitatis suam opinionem, adferre, ne cui in mentem veniat auctoris querela in Praefatione posita: Dari tales Scrip-



tores, qui etiam dum absque ulla probatione quidpiam contra Valachos comminiscuntur, censem, universum orbem obligari ad credendum.

Certo Graeci, post translatum solium Romanum Constantinopolim, et postquam huic urbi nuncupatio *Novae Romae* indita est, ac privilegiis veteris Romae donata, semper aemuli Romanis ansam arripere potuerunt, se *Romaeos* nominandi, Valachos vero, si antehac non fuerunt appellati Romani; quid caeothis incessere potuisset, dum omnino ab Imperio Romano avulsi, sub jugo barbarorum, capitalium hostium Romanorum gembant, se se Romanos (nomine barbaris semper exoso) compellandi. Sed etiamsi incolae Imperii Graeco-Romani fuissent; Graeci, qui ne quidem incolas veteris Romae nomine Romanorum dignabantur, an passi fuissent inclyto hoc nomine, si antea gavisi non fuissent, se se insignire? Et, si Valachi Graecos imitari voluerunt; ecce se *Romanos*, et non *Romaeos*, pronti Graeci, nominarunt? Dubitari ergo non licet, Valachos ut pote Romanos cives tempore Trajani ex Italia inclytum nomen *Romanus* secum isthuc advexit.

Ad ea, quae num. 12. disputat Recensens, animadverto: sive Slavi acceperint à Germanis, ut vocent Valachos, et Italos *Vlassi*, sive Germani à Slavis, haud originem nominis aliunde commodius repeti, quam à Latio. Caetera vide auctorem.

Num.

Num. 13. notat Recensens, ipsos etiam Graeci Ritūs Croatas, Slavicū populum, nominari Vlachos. Proinde Ρωμαῖος (Romaeos) et Vlachus sunt synonyma.

Croatas, qui vocantur Vlachi, non esse Slavicū populum, sed veri nominis Valachos, ac olim vocitatos fuisse Romanos, prouti hodieum Valachi se nominant Romanos, solide probavit auctor cap. 6. §. 12. Quem vide sis. Porro *Romanus* et *Vlachus* esse synonyma, dubitari non potest; *Romaeos* vero et *Vlachus* esse synonymia, supinum commentum est. Nec enim *Romæi*, hoc est Graeci apud Slavicas gentes unquam audierunt Vlassi; Romani vero cum omnibus Italīs hodieum apud Slavicos populos *Vlassi* vocantur. Vide Lucium, de Regno Dalmatiae lib. 6. cap. 5.

Ægre fert num. 14. D. Recensens, quod Valachi suas avitas litteras Latinas recipere connitantur, idque caeco amore Latinarum litterarum eosdem committere decernit.

Bone vir, qui ejusmodi declamatione non unice Recensentis officio fungi videris! quamdiu Valachi litteras Cyrillicas retinebunt, vix, aut ne vix quidem Grammaticam suae linguae notam aliis nationibus reddere quibunt, minus tenebrae, quibus per Cyrillicas litteras obducta est lingua Valachica, dispelli valebunt. Haud caecus ergo est amor, quo ducuntur Valachi in litteras Latinas, sed illi

po-



potius caeci sunt, ac deplorandi, qui non vident harum litterarum utilitatem, et necessitatem.

Porro, etsi aegre, tamen permittit D. Recensens Valachis, ut Latinis litteris utantur, si velint, eo tamen pacto, ut nihilominus incommunicabilis reddatur aliis nationibus lingua Valachica litteris Latinis perinde, ac ante hac Cyrillicis evenit. In hunc finem liberate, qua omnes nationes Occidentales hoc in genere gaudent, Valachis fas esse frui negat, atque aperte sancit, ut cultas nationes Occidentales in adornandis combinationibus neutriquam imitentur; imo praecipit, ut talia signa in defectu Latinarum litterarum sibi inventiant, quibus, sicut pronunciant, ita adamussim scribant: quo scriptura Valachica omnibus Occidentalibus, et ipsa veterum Latinorum hodie dum vigente longe perfectior evadat.

Certo certius speciosa haec perfectio, quam anxie exposcit D. Recensens in Orthographiâ Latino-Valachica, desineret in summam imperfectionem, si Valachi morem gererent Recensenti. Sic enim oportet scribe-re, ut alii legere valeant. Jam si retinerent Valachi in sua Orthographia Latino-Valachica litteram Cyrillicam  $\chi$ , quae designat sonum quemdam medium inter  $\alpha$  et  $e$ , et vocalem nasalem  $*$ ; praeter quam quod hae admodum foedarent scripturam Latinam, nemo

prae-

praeter Valachum legere posset Latino-Valachicam scripturam. Exemplo sunt nobis Rasciani etiam in Scriptura Cyrillico-Valachica. Cum ipsis notae sint litterae Cyrillicae ut potest apud ipsos metus usitatae, facile legunt Cyrillico-Valachice. Dum vero offendunt praedictam  $\text{z}$ , quae apud ipsos nullum sonum edit, ac nasalem  $\text{x}$  Valachorum, caespitant, et abrumpere coguntur lectionem. Nec possum satis mirari in Rascianis, quod cum ipsis etiam habeant in sua lingua sonum, quem designat vocalis Valachorum  $\text{x}$ , tamen dum quempiam peto, ut seorsim vocalem  $\text{x}$  efferrat, nullo pacto id praestare queat. Habent, inquam, Rasciani sonum  $\text{x}$ , eg. in voce  $\Gamma\kappa$  (grc) *Graecus*, tribus meritis consonantibus constante, dum vim sibi inferunt ad pronuncandum illas tres consonantes, quae certo absque vocali aliqua proferri neutiquam possunt, inter *g* et *r* aperte edunt sonum  $\text{x}$ ; sic in voce  $\tau\mu\pi\tau$  (smrt) *mors*, inter *m* et *r*; sic in voce  $\nu\beta\lambda\omega$  (vrlo) *valde*, inter *v* et *r* etc. idem praestant.

Qui ergo legere possent illae nationes  $\text{z}$  et  $\text{x}$ , quibus sicut incognita sunt haec signa, ita nec sonum earumdem habent in sua lingua? Idem dicendum de illis novis signis, quae forte loco  $\text{z}$  et  $\text{x}$  (ad quod inviat Recensens) invenirent Valachi; proinde incomunicabilis scripto redderetur aliis nationibus Valachica lingua.

In-



Indubium est, vocales **z** et **z** loco vocalium Latinarum *a*, *e*, *i*, ac interdum loco *o* et *u* subintrusas esse in scripturam Valachicam. Cum ergo vocales *a*, *e*, *i*, *o*, *u* omnibus nationibus Occidentalibus sint notae; eadem revocandae sunt loco **z**, et **z** in scribendo Latino-Valachice, sicque omnes nationes Occidentales perfecte legent Latino-Valachice, etsi non eadem semper pronunciatione, quam Valachi jam innatam habent, ejusque modi legentem omnis Valachus intelliget, eg. aequo intelliget, sive quis pronunciet **κάνε** (cane) *canis*, sive cane; sive **καλκάρε** (calcare), sive calcare etc.

Exemplo nobis sunt Saxones Transsilvani, qui cum pronunciare non valeant **z** et **z**, adhibent in sermone vocales sibi notas, eg. loco **κάνε** (cane) dicunt **κίνε** (chine); loco **ᾶς φύτατ** (au fetat) *enixa est*, dicunt *au futat*; nihilominus tamen et Valachi intelligunt eos, et ipsi inter se. In eo solum errant praelaudati Saxones, quod loco **z** et **z** non nativas, sive primigenias, sed arbitrarie adhibeant vocales, per quod risui se exponunt apud Valachos, cum interdum etiam scandalose propter arbitrariam substitutionem vocalium loquuntur, uti patet ex allato exemplo *futat*, loco *fetat*. Quod si Valachi edant suos libros, imprimis Lexicon litteris Latinis; substitutis hoc medio competentibus vocalibus loco **z** et **z**, facile omnes dedocebuntur praepo-

postere substituere vocales loco **z** et **ȝ**. Certo non tam pro se, quam pro aliis nationibus necessarium est Valachis Orthographiâ Latino-Valachica loco Cyrillico-Valachicae uti, si velint cum aliis nationibus suam linguam communicare.

Nec difficili negotio id praestare possunt. Nam vocalis Latina, dum sonum **z** designat, notatur hoc **'** signo, eg. casa, *domus*; dum vero loco **ȝ** ponitur, notatur hoc **^** signo, eg. mâne, *cras*. Combinatione vero consonantum nulla apud Valachos opus est, solum modo consonanti *c* adjungenda est *h* ante *e* et *i*, dum ita pronuncianda venit sicut ante *a*, *o*, *u*, sive sicut Graecum **κ**, eg. chedru, *cedrus*; *inchinare*, *inclinare*; secus enim *c* ante *e* et *i*, sonat more Romano sicut **γ** Cyrillicum, aut Hungaricum *ts*, eg. cepe, *cepae*, faci, *facis*. Pariter consonanti *g* ante *e* et *i* adjicienda est *h*, dum ita efferri debet sicut ante *a*, *o*, *u*, eg. ghem, *glomus*, ghindura, *glandula*, secus more Romano pronunciatur sicut **ψ** Valachicum, eg. gem, *gemo*, stringi, *stringis*.

Illa unica difficultas inest Orthographiae Latino-Valachicae, quod una vocalis plures sonos designet, prouti hodie est pronunciatio Valachorum, unum quidem pura vocalis, alios duos, dum eadem signo **'** vel **^** notatur.

At similem difficultatem etiam lingua Latina docta patitur. Nam sonus *e* triplici modo signatur, nimirum *e*, *ae*, *oe*; ac lingua

Grae-



Graeca majori difficultati obnoxia est, sonus enim *i* in Graeca lingua quintuplici modo signatur, videlicet *η*, *ι*, *ει*, *οι*, *υ*. Usus horum signorum sive in Latina lingua, sive in Graeca plerumque non aliter potest condisci, quam lectione auctorum, et Lexicorum. Oramus proinde D. Recensem, ne majorem perfectionem exigat in hoc genere à Valachis, quam à doctis Latinis, et Graecis, si non repugnat Valachicam linguam aliis nationibus communicari. Caeterum principia à D. Recensente tradita laudanda sunt in theoria.

At, inquit Recensens: moderni Galli condemnant veteres, qui Orthographiam, qua hodieum utuntur, tantis combinationibus oneratam invexerunt, nec jam propter inventatum usum rejicere queunt.

Orthographiam Gallicam perdifficilem esse indubium est, ideo tamen veteres ejusdem auctores non ansim damnare; haud enim ambigo, quin olim alia fuerit apud Gallos pronunciatio, atque nunc sit. Hinc necessarias existimarunt illas combinationes veteres Galli. Proinde exemplo modernorum Gallorum haud deterrebit D. Recensens Valachos à praescripta Orthographia Latino-Valachica, nec divinationem ejusdem, infamiam sibi apud posteros accersituros esse, moderni Valachi timent, imo optimam spem nutriunt, fore, ut sibi benedicant posteri. Congratulabuntur enim posteri Valachorum, se liberatos esse à Cyrilli-

cis

cis litteris, quae hactenus linguam Valachi-  
cam confoedabant, et concinnandae Gram-  
maticae obsistebant. Imo, medio Orthogra-  
phiae Latino - Valachicae sensim per extra-  
neos, qui efferre non possunt **z** et **x**, idem so-  
nus extingnetur, hocve mediò inter Valachos  
quoque oblivioni tradetur, sicque omnes vo-  
cales nativo sono, quin opus sit notari supra  
declaratis signis, pronunciabuntur. Quo in  
casu multo simplicior erit scriptura Valachica,  
quam Graecorum, et Latinorum, cum Vala-  
chi non modo diphthongis unius soni, prouti  
hodie est apud Latinos usus diphthongorum  
*ae*, *oe*, et apud Graecos *ai*, *ei*, *oi*, *ou*, careant,  
sed nec consonantem ullam soliti sint gemi-  
nare: qui mos non geminandi consonantes,  
uti supra docui ex Festo, apud veteres quo-  
que Latinos viguit.

Frustra ergo D. Recensens taxat conatum  
Valachorum, Samuelis Klein, Georgii Sinkai,  
Samuelis Körösi, Georgii Rosa, Michaelis  
Bojadzi, et auctoris Odae, qui est Joannes  
Theodorovits Juris auditor Pestini. Utinam  
maturius, tametsi D. Recensens praecipit,  
ut non praecipitent, cepissent Valachi uti Or-  
thographiā Latino - Valachica loco Cyrillico-  
Valachicae: cum multa certo hactenus emen-  
dassent in sua lingua, tum D. Recensem  
relevassent maxima solicitudine tanto zelo  
suscipiendo patrocinium eorum, qui perfectio-  
nem Valachorum oderunt, ac rudiiores Vala-  
cho-



chorum illo insano motivo: quod litteris Latinis Religio Christiana (sic enim vocant Religionem non unitam cum exclusione aliarum) laedatur, à recipiendis litteris Latinis absterre conantur. Caeterum hodie non modo in privatis correspondentiis, docti Valachorum Latinis litteris utuntur, sed Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Samuel Vulcan Episcopus Graeco-Catholicus M. Varadiensis, eximius litteraturae Valachicae Patronus etiam officiosa suis per Dioecesim subordinatis Latinis litteris communicat. Quod non modo Valachi boni consulunt, verum etiam Hungari, alii que praecipue qui callent Valachicam linguam laudibus efferunt.

Etiam in Transsilvania aequo animo recipient Orthographiam Latino-Valachicam tam Hungari, quam Siculi et Saxones, imo et Armeni; omnes enim norunt linguam Valachicam, solae Cyrillicae litterae obstabant commercio litterario has inter nationes et Valachos, cum Cyrillicas litteras omnes exhortescant.

Rasciani in sua lingua habent vocabula, in quibus illa Latino-Hungaricae Orthographiae: *gy*, *ly*, *ny*, *ty*, uti Gyurka, *Georgius*; Nevolya, *miseria*; *kony*, *equus*; *sve-tya*, *candela*; item Valachorum: *u* et *z* pronunciari audiuntur. Ad haec designanda certo non sufficiunt litterae Cyrillicae. Vides igitur Cyrillicas litteras nec pro lingua Rascianis.

nica satis esse aptas, tametsi illis tanquam propriis gloriantur; et constat, non parum obscurationis per illas invectum esse in Rascianicam linguam. Haud mirum igitur iisdem litteris Valachicam linguam corruptam fuisse. Potius ergo D. Recensens suasisset etiam Rascianis, ut una cum Valachis recipiant litteras Latinas. Quo in casu Orthographia Latino-Hungarica magis accommodata foret pro Rascianis, nisi quod ē Cyrillicis retinere deberent \*, et à Valachis mutuari υ et \*, quibus Valachi in Orthographia Latino-Valachica non indigent. Necessitas vocalis \* pro Rascianis patet ex iis, quibus supra docuimus sonum \* audiri in lingua Rasciana; consonantis υ elucet ex pluribus vocibus apud Rascianos usitatis, eg. Πόγνυτε pallium, πένημε fenestra etc. Caeterum hac consonante Valachica hodie quoque nonnulli Rascianorum utuntur, imo etiam in Scholis unā cum Cyrillicis litteris pueris tradi observavi. Vocali autem Valachorum \* eo alacrius uti queunt Rasciani in scribendo, quod jam adoptatam habent in Paschalia (vulgo мана λαΐς Δαμασκίν, manus Damasceni) à Damasceno Valacho Episcopo Rimniciensi concinnata, qua Rasciani quoque, in Slovenicam linguam conversa, utuntur.

Quodsi Hungaricae Orthographiae cs vel ts, sz, tz, non placent Rascianis, retineant ē Cyrillicis ч, т, ц, ad sequendam simplicitatem



tem divinae artis scribendi, quam praescribit D. Recensens. Tum suo periculo experientur Rasciani, quid Valachis ratione litteratae tanto conatu consuluerit D. Recensens. Supersedeo plura loqui de Rascianicae linguae Orthographia: ad quam emendandam utinam appellerent animum, et solertius excolerent suam linguam vulgarem, ne, dum Ecclesiastica, Slovenica lingua, cuius Syntaxis per versionem librorum è Graeca lingua de verbo ad verbum factam enormiter corrupta est, quamve pauci callent, gloriantur, in antiqua ruditate obfirmentur. Ad quod assequendum imprimis nationales docti viri per potentiores suos totis viribus fovendi sunt. Cum enim viri, qui litteris serio incumbunt, communiter egestate premantur, necessariis mediis destituti omnem operam elucubrandis, et edendis libris impendere certo non valent; minus, si ab iis, quorum interesset opem ferre, persecutionem patiantur, aut contemnuntur.

Num. 15. Recensens prompte adseverat, Valachicam litteraturam primum iucepisse cum Valachica versione Bibliorum. Hinc promptius concludit Valachos nunquam scripsisse litteris Latinis ante Kleinii, Sinkai et aliorum tentamina.

Denique juste questus est auctor in Praefatione: contra Valachos quaelibet mendacia profundi esse impune. Ejusmodi mendacio

D.

D. Recensens eo gravius sibi imponi passus est, quod eruditus auctor opusculi, quod inscribitur: *Észre vételek Tekéntetes Schwartner Márton Úr Magyar Ország Statistikájaban az Oláhokrol tett jegyzésekre*, Pestini anno 1812 evulgati docuit, longe ante interpretationem Bibliorum libros Vâlachicos fuisse typis editos; idem antea fusius persentus est Radu Tempe in Praefatione ad Grammaticam anno 1797. Cibinii impressam. Ego quoque habeo prae manibus Psalterium de verbo ad verbum ex Hebraico in Valachicum versum, Albae Juliae anno 1651. editum. Legi praeterea librum Concionatorium sub Principe Transsilvaniae Georgio Rakoczi anno 1641. evulgatum; sub eodem Principe impressum est novum Testamentum Albae Juliae anno 1648. quod in manu habeo. Vidi quoque Cibinii apud D. Joannem Molnár Doctorem, et Medicuiae oculorum Professoren Publicum Ordinarium librum Concionatorium anno 1580. sub Christophoro Bátori Principe Transsilvaniae Coronae impressum, ut taceam alios. Imo etiam manuscripta Vâlachica ante factam Bibliorum interpretationem exarata visuntur, ex quibus ego quoque habeo aliquot frusta. Tam ergo est falsum, Vâlachicam litteraturam etiam respectu Cyrillicarum litterarum primum cum Vâlachica Bibliornm interpretatione incepisse, quam quod falsissimum.

Ego



Ego quidem antiquorem, librum aut manuscriptum libro Concionatorio anno 1580. edito non vidi. An tamen ideo dixeris, Valachos, post adoptatos Cyrillicos characteres, antehac nihil Cyrillicis litteris exarasse? Etsi enim Valachi post Concilium Florentinum, docente Cantimir Principe Moldaviae, in sacris acceptarunt linguam Slovenicam, indu- bium tamen est, Valachos posthac quoque ignaros fuisse linguae Slovenicae una cum suo Clero communiter loquendo. Qui ergo Prin- cipes Valachiae et Moldaviae sua Mandata suis subditis, et Metropolitae, Episcopi, Pro- topapae statuta Synodalia etc. suis subordina- tis communicavere? aut amici, et mercato- res inter se correspondentias fovere? non ali- ter certo nisi Valachiea lingua, et jam civita- te donatis litteris Cyrillicis. Unde dubitari non potest, litteraturam Cyrillico-Valachi- cam ab eo tempore incepisse inter Valachos, quo Valachi litteras Cyrillicas non sine magno suo damno (quod amare luget Princeps Can- timir) obstetricante Theoctisto olim Marci Ephesii Diacono, adoptarunt.

Sed dato, cum Valachica Bibliorum in- terpretatione primum incepisse litteraturam Cyrillico-Valachicam; non video, qui sequat- tur conclusio: Ergo nunquam Valachi Latini- lis litteris scripserunt ante Kleinii, Sinkaii et aliorum tentamina. Ista argumentatio si- milis huic videtur: Langobardi post occupa- tam

tam Italiam primum loqui ceperunt Italicam linguam; ergo nunquam ante locuti sunt Germanice.

Eodem num. aegerrime fert D. Recensens, auctorem litteraturam Latinam ut identicam cum Vlachica , hoc est, Valachicam litteraturam ut continuatam Latinam considerare, quod ne quidem Itali, Galli , Hispani fecere. Ideo, ait , forte aperte auctori contradicere esse necessum. Sed cur?

Auctor hac de re sic disserit. Coloniae Romanae, hoc est, prouti nunc loquimur, Vla-chi vel Valachi, dum Romā exiverunt in Da-ciam, iis litteris h. e. Latinis usi sunt, quibus utebantur reliqui Romani Romae , et in uni-versa Italia. Hoc vel ex ipsis Inscriptioni-bus veterum Daco - Romanorum, quae inven-tae sunt, et hodieum effodiuntur in Dacia , praecipue in Transsilvania , et in Banatu , evincitur. Post occupatam per barbaros Da-ciam, etsi cursus scientiarum non mediocri-ter impeditus est, eo minus tamen potest sup-poni, hos Romanos eo delapsos fuisse, ut lit-terarum , quas eorum proavi Romā secum at-tulerant, obliviscerentur, quod nullam earum gentium , quae fuerunt in Dacia , legimus, bellum indixisse litteris.

Accedit, quod, cum Valachi illis etiam seculis fuerint addicti christianaे Religioni, dubitari non possit, eosdem suis gavisos fuisse Sacerdotibus , proinde illis libris, sine qui-bus non celebratur Sacra Lyturgia, aut sacra-menta administrantur, instructos fuisse. Jam



sic arguo : Illi libri vel fuerunt Graeci, vel Latini, nam litterae Cyrillicae seculo nono primum inventae sunt. Graecos fuisse, ne umbra quidem suspicionis adparet ; ergo fuerunt Latini. Quod inde maxime comprobatur : Nam anno 458 Episcopi Valachorum Dacie Ripensis, sive Moesiae inferioris in Synodus congregati misere Leoni Imperatori Constantinopolitano Epistolam de nece S. Proterii Alexandrini et Concilio Chalcedonensi Latinam, quae Constantinopoli versa fuit in Graecum : quod argumento est, hos Episcopos ignaros fuisse linguae Graecae, proinde Latinis litteris una cum reliquis Valachis uti solitos.

Haec ejusmodi sunt, ut simplici contradictione, quae saepe esse solet inanis sine mente sonus, elumbari nentiquam possint. Luctulentum est, Veteres Valachos litteris Latinis usos fuisse, sicut reliqui Romani. Siquis neget hunc usum usque ad tempora Concilii Florentini continuatum fuisse, positive docere tenetur, per quem, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando abolitus sit. Qualiter vero post Concilium Florentinum interruptus sit primum usus Latinarum litterarum inter Valachos, exponit Demetrius Cantimir cum omnibus circumstantiis, quippe cui uti actuali Principi Moldaviae omnes anguli veterum archivorum patuerunt.

At, inquit D. Recensens, Itali, Galli, Hispani suam litteraturam nunquam considerarunt ut continuatam Latinam.

Patas inclytas has nationes ( adde etiam amplissimam nationem Germanicam ) nihil scripsisse sua lingua ante aevum, ex quo visuntur libri Germanici , Italici , Gallici , Hispanici ? Recole quae supra dixi , de Valachis in hoc genere .

Nm. 16. Docet Recensens , tentamina Valachorum Latinas litteras restituere gestientium merito invenisse contradictionem .

Praedicta tentamina invenisse contradictores verum est ; at quos ? eos videlicet , qui sufflaminare nituntur commercium Valachorum cum aliis nationibus , quae non sunt Graeci Ritūs , et illos , qui , cum ignari sint Valachiae linguae , judicium ferre volunt de re sibi minus cognita . Ejusmodi contradictores parvi aestimandi imposterum quoque inventantur .

Num. 17. arguit Recensens auctorem quod in Cap. v.—vii. anonymo Regis Belae Notario ab Edero , et aliis pro fabuloso declarato ut historicō fonte utatur .

Cur Eder , et nonnulli alii Anonymum tantopere impugnant , Engel in Supplementis ad Vindicias Anonymi Cornidessianas §. 5. his verbis manifestum reddidit : *Hic est lapis offensionis pro illis , qui Valachos in Transsilvaniam serius tantum advenisse , et hinc tantum qua advenas arbitrarie tractandos esse , tam pertinaciter credunt , ut Anonymo bellum indicere , quam errori suo renunciare malint . Cl. Josephus Kereszturi Historiae*



riae Universalis, et Pragmaticae Regni Hungariae Professor in Universitate Regia Scientiarum Pestana in Dissert. quam anno 1812. de aetate Anonymi Belae Regis Notarii edit, solide probat, eumdem Belae I. Regis Hungarorum Notarium fuisse, certo non ita remotum ab adventu Hungarorum in Panniam, ut ea, quae de adventu Hungarorum scripsit, fidem non mereantur.

Porro ait Recensens, vel ab ipso Engel magno Anonymi patrono tantum eo in casu eumdem defendi, ubi ille vel melioribus fontibus, vel saltem veritati congruentibus usus est.

Verba Engeli in Appendice ad Commemorationem de expeditionibus Trajani ad Danubium §. 4. haec sunt: *Anonymum -- inter melioris notae historicos Hungaros satis certe constat, et quem in omnibus quae de adventu Hungarorum narrat (exceptis iis, quae ipse argutatur) fide dignum haberi, sanae critices regulae suadent.* Quae vero Anonymus ipse argutatur, sunt eg. Cap. 3. *Ab even- tu divino est nominatus Almus, quia matri ejus praegnanti per somnum apparuit divi- na visio.* Et cap. 11. *Dux Morout, cuius nepos dictus est ab Hungaris Menumorout, eo quod plures habebat amicas, et alia ejusmodi, quae recensuit auctor.*

Tandem carpit Recensens auctorem, quod non critice disseruerit de migrationibus gentium.

Propositum fuit auctori originem Valachorum investigare, idcirco de migrationibus gentium

tiū brevi illo tempore, quo Historiam de origine Valachorum in Dacia elucubravit, parum fuit solicitus.

Ea quoque attingenda sunt, quae Recensenti sparsim in adumbratione ordinis Historiae observare placuit.

Ad cap. 2. Historiae, Recensens refert *Ler* ad veterem Polonorum *Lelum*, *Polelum*, idque ex eo, quod Valachi solent mutare l in r, ut *mora* pro mola, *tscher* pro tschel, vel potius *cer* pro cel (Coelum).

Probe advertendum est, Valachos id facere in vocibus Latinis, haud vero in Slavicis.

Ibidem ait Recensens, *Colindas* Valachorum citra dubium idem esse cum Slavico *Koleda*, et Polonico *Kolenda*.

Certo *Colindarum* etymologia eo magis à *Calendis* Latinorum repetenda venit, quod ad Calendas Januarii soleant à Valachis cani, nunquam alio tempore.

Ad cap. 5. Quoniam probaverat auctor fortitudinem Valachorum ex his verbis anonymi Notarii: *pugnatum est inter eos acriter*, adrefellenda haec verba exploratoris Opaforcos: *homines* (Slavi et Valachi) *viliores totius mundi*; D. Recensens sic arguit: Audacia Valachorum demonstrata è verbis solius Notarii et *pugnatum est inter eos acriter*, quae illius prius assertum: *homines viliores totius mundi* tollunt. Siquidem haec judicia ejusdem testis sunt, se mutuo elidunt, sic manet haec demonstratio nulla,

Idem

Idem quidem Scriptor refert utramque propositionem; at haec: *homines viliores totius mundi*, dicta de Blasiis, sive Blachis, h. e. Vlachis, et de Slavis, non est Notarii, sed speculatoris Opaforcos apud Notarium cap. 25. quam ex cuiusmodi consuetudine protulerit Opaforcos coram Duce Tuhutum, ostendit auctor cap. 5. §. 5, Altera vero: *Pugnatum est inter eos acriter*, est ipsius Historici anonymi Notarii, ac recentior quam Speculatoris Opaforcos, qui longe ante pugnam Tuhutum Ducem diffamatione Blachorum et Slavorum ad movendum bellum contra Transsilvaniam stimulabat. Non elidunt ergo se in vicem illae duae propositiones, sed haec: *Etpugnatum est inter eos acriter*, illam: *homines viliores totius mundi*, taxat falsitatis.

Ad cap. 8. adserit Recensens, auctorem minori etymologica veritate Pacinacitas facere Valachos, quam Pray Hungaros.

Etsi id lectori expositionem auctoris pendenti falsum non videri non potest; tamen auctor Pacinacitas fuisse Valachos, inde maxime probat: quod in ea regione, ubi erant Pacinacitae, oblivioni tradito nomine Pacinacitarum, inventi sint Valachi, quin Pacinacitae inde emigrassent, aut nova gens illuc subintrasset; ac vasta Pacinacia, et ingens multitudo Pacinacitarum per Constantinum Porphyrogenitum descripta nulli alteri genti, quam Valachiae possit convenire.

Ad cap. 9. ait Recensens, ineptam esse derivationem Bulgarorum ab Italico *Voglia*, quod

quod apud Valachos veteris Dacie dicitur  
*voia*.

Si Sclavorum non sine crisi factam deductionem admittas; Bulgarorum quoque à *Voglia* concedas est necesse. Vide auctorem.

Porro decernit Recensens *voia* Valachorum nonnisi à Slavico *nevolja* venire.

Quaero à D. Recensente, an simplicia venniant à compositis, vel è contra composita à simplicibus? an *fas* à *nefas*, vel vero *nefas* à *fas*?

Cum supponendum sit, D. Recensem non modo Slavicam, verum etiam Valachicam linguam perbene callere, optandum est, ut decantatam illam formalem affinitatem Valachicae linguae cum Slavica tandem solide ostendat. Illi enim, qui antehac eam fabulam cecinerunt, quosve secutus est D. Recensens, neutrius linguae satis gnari faerunt. Certo Valachi, qui nec Slavos, nec aliam gentem ullam soliti sunt odisse, virili demonstrationi omnino aquiescent; ut autem nudis verbis fidem adhibeant, nemo postulare potest. Auctor quidem diversitatem declinationum, comparationis, conjugationum paucis, satis luculenter ostendit: plus praestari non potest, prius quam assertores praedictae affinitatis, eamdem non nudis verbis explanent.

D. Recensens non sine voluptate cognominat Valachos *Semi-Romanos*, quin attenderet, quod nonnullae tribus Slavicae ratione et commixti sanguinis, et confusae linguae jure nominari queant *Semi-Slavi*. Sed ejus modi rebus odiosis nolo immorari. Pe-



Pene vero oblitus fueram asserti D. Recensentis, quô initio suae Recensionis videtur lectoribus velle ingenerare, Valachis haud alios esse libros, quam Grammaticam, et Biblia sacra.

Scilicet, si quis in Bibliotheca quapiam unum solum librum Valachico idiomate editum deprehendat; impune concludet: Valachos haud aliis libris gaudere, idque audacter tamquam rem certam promulgabit, quin ultra perconteatur! Bone vir! Valachi praeter Grammaticam, et Biblia sacra binae editionis, habent omnes libros Ecclesiae Graecae multitudine et mole insignes, quorum nonnulli etiam Viennae in Ecclesia parochiali ad S. Barbaram cerni possunt; habent etiam multos libros Catecheticos, Asceticos, Concionatorios tam veteres, quam recentiores, Polemicos, Exegeticos, nec non Theologiam tam Moralem, quam Dogmaticam systematice concinnatam, Rhetoricam, Logicam, Jus naturae, Jus criminale, Jus Canonicum et Civile, ac ipsum corpus Juris Canonici cum Scholiis, libros oeconomicos etc. etc. Imo nec Poeticis destituantur, atque Psalms ipsos Davidis carmine interpretatos habent. Id quoque noto, eximium opus Simeonis Thessalonicensis Graeca lingua elucubratum, huc dum in sola Valachica lingua reperiri traductum. Alia etiam opera Graeca partim recensionum auctorum, partim veterum Patrum habent Valachi in suam linguam conversa, ac typis edita. Poetica etiam opuscula ex Italica lingua translata apud Valachos visuntur.

